



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

**Parisiis, 1644**

Oratio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14584**

ANNO CHRISTI 441 eo, qui eum hinc & inde circumstare debent. Vbi etiam esse debent illi, quibus iniuria vel damnum commissum debet emendari: aut si iam emendatum est, eorum testimonio comprobari. Deinde interroget episcopus, si poenitentiam, iuxta quod Canones præcipiunt, pro perpetratis sceleribus suscipere velit. Et si ille, terræ prostratus, veniam postulat, culpam confitetur, poenitentiam implorat, & de futuris cautelam spondet, tunc episcopus apprehensa manu eius dextra, in ecclesiam illum introducat, & \* ei communionem & societatem Christianam reddat, & septem psalmos poenitentiales decantet cum istis precibus, Kyrie eleison, Pater noster, Et ne nos: Saluum fac seruum tuum, Deus meus, sperantem in te: Mitte ei Domine auxilium de sancto, Et de Sion tuere eum: Nil proficiat inimicus in eo, Et filius iniquitatis non apponat nocere ei: Esto ei Domine turris fortitudinis, A facie inimici: Domine exaudi orationem meam, &c. Dominus vobiscum, &c.

### ORATIO.

**P**RÆSTA quæsumus Domine huic famulo tuo dignum poenitentiæ fructum, ut ecclesiæ tuæ sanctæ, a cuius integritate deuiauerat peccando, admissorum veniam consequendo, reddatur innoxius: per Christum Dominum nostrum. Amen.

### ALIA ORATIO.

**M**AIESTATEM tuam quæsumus, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui non mortem, sed peccatorum vitam semper inquiris, respice flentem famulum tuum, attende prostratum, eius planctum in gaudium tuæ miserationis conuerte, scinde delictorum sacram, & indu eum lætitia salutari, ut post longam peregrinationis famem, de sanctis altaribus satietur, ingressusque cubiculum regis, in ipsius aula benedicat nomen gloriae tuæ semper. Amen.

### ALIA ORATIO.

**D**EVS misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata poenitentium  
*Concil. Tom. 7.* Nn